



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

PRÆFATIO AD LECTOREM.



CIENTIÆ alia & artes, *Philosophia*, *Philosophia Theologia* subservit, eamq; ut Dominam & reginam, scientiarumq; gemmam ac Principem agnoscit. Iis ergo quæ ad rerum naturalium per vestigationem, *Vniversitatem*, structuram & fabri-
cam spectant, in *Philosophia* expeditis, ad illorum quæ na-
turae vim & cursum excedunt, altiorisq; ordinis sunt, considerationē erigendus
animus, ampliusq; & spatiiosus rerum Theologicarum campus percurrendus.
Importuno itaque multorum rogatu, ut brevem & succinctum, qualem à plu-
rimis expeti aiebant, cursum Theologicum conscriberem, eorum insuper, qui-
bus fas non erat refragari, auctoritate accidente, animum tandem ad hoc opus
adjeci, quod Theologia auditoribus non inutile futurum spero, & ipsis etiam
fortasse Professoribus non ingratum.

Brevitati proinde (quantum per rerum varietatem & copiam licet, quas
integer cursus Theologicus continet) studio; constat namque posse in multis
fusiorem sermonem contrahi, & verbis parci, ac multa paucis dici: quotidiana
siquidem compertum est experientiâ (ut virtus unita est fortior) stri-
ctum ac pressum dicendi genus vivacius in audientium vel legentium animos
influere, movere efficacius, & firmius inhærere. Duobus ergo tomis univer-
sam Theologiam Scholasticam, seu quæ in scholis prælegi ut plurimum audito-
ribus solet, complectar, eodem tenore ac methodo cum *Philosophia* conscriptis.
Quæ ab aliis, vel non omnino, vel non ita plenè disputata sunt, accuratiū
tracto; que fusiū quām res postulat, à nonnullis discussa video, brevius per-
curro, ne qua in re Lectori desim, & quidquam omittendo Theologiam man-
cam tradam, aut nimium quibusdam insistendo, superfluam.

Siquis in eadē mecum sententiâ conspiret, allatas ab eo rationes non im-
pugno, sed promoveo potius, novisq; adjunctis probationibus firmare pro vi-
ribus ac stabilire enitor, ut majus inde conclusioni robur ac momentum acce-
dat. Illa etenim quorundam nullo modo probanda mihi videtur consuetudo,
qui dum eandem interdum cum aliis assertionem amplectuntur, ipsorum ta-
men rationes ut infirmas ac debiles rejiciunt, totoque conatu nituntur, ut eas
nullius esse valoris ac ponderis ostendant, & ubi omnes rejecerint, suam tan-
dem statuunt, multò iis, quas rejecerunt, frequenter infirmiores: & hoc pacto
dubia omnia relinquunt & incerta, lectoriq; summam pariunt confusionem;
&, ut verbo dicam, quas ornare & perficere prætendunt, perditum eunt
scientias. Accipe ergo hos labores, benevole Lector, qui si lucis
tibi aliquid aut utilitatis attulerint, optatum me ex iis fructum perceperisse
gandebo.

APPRO-